BIBLIOTECA MARCEL·LÍ DOMINGO

MEDICINÆ BARCINONENSIS ACADEMIA

S. P. F.

HÆC est profectò hominum conditio, vir sapientissime, ut post emensos, exanlatosque in scientiis percurrendis labores, post tentata infinita rerum experimenta, penitusque exploratas causas, quamplurima sese offerant scitu difficillima, quæ nec percipere, nec penetrare valeamus. Quapropter tot, tantarumque in orbe litterario notissimarum Academiarum vestigia prementes, placuit sapientissimos allicere viros, eosque in sodalitium nostrum vocare, qui, & suis elucubrationibus, & studiis, & omnigenæ eruditionis, quibus summopere pollent, adjumentis, rem nostram valeant illustrare, & ad supremum scientiæ medico-practicæ fastigium, ad quod contendimus, mutuis hinc inde collatis consiliis attollere. Et, ut quod ad nos attinet, quæque de nobis ipsis sentimus, plane proferre liceat, nulli pepercimus labori, & nostris comitiis id semper in delitiis habuimus, ut qualem qualem, quem ex nostris, & publicis, & privatis studiis collegeramus fructum, in publicam omnium utilitatem consecraremus. Quod, quò felicius, optatiusque omnium nostrum votis satisfieret, Caroli tertii augusti, ac potentissimi Hispaniarum Regis, Conditoris nostri, litteratorumque omnium Patroni munificentissimi accessère patrocinium, & authoritas. Hic ergo pro eo vultu, quo litteras omnes benignisimè prosequebatur, earumque cultores, Academiam nostram regio nomine insignitam voluit, & nobilitatam, ut facilius, quam nobis proposueramus, gloriosam laborum nostrorum metam, attingeremus. Id quod feliciore etiam omine, fortunatioreque eventu consequuturos speramus, si te, vir clarissime, quem sacratiora naturæ arcana percalluisse scimus, quemque ob tua egregia in Rempublic. Litterariam merita, tanquam scientiæ nostræ opitulatorem reveremur, in hanc ACADEMIAM vocaremus, te Socium numerarium renuntiaremus, complecteremur. Complectimur itaque, ac in sodalitium nostrum adscribimus, hoc litterario diplomate, summæ nostri in te observantiæ testimonio. Age igitur, & præclarissima ingenii tui monumenta nobis velis communia, & hanc Academiam tuis studiis adjuva, elucubrationibus illustra, tuisque votis faustissimam, æternamque in Reipub. utilitatem precare. Vale.

Datum Barcinone XII Junii MCMXXXII anni

Secretarium

Præses

Doctorem Petrum Domingo et Sanjuan

Font: biblioteca.tortosa.cat